

ex quinque miliaribus Geometricis Theodosij, & 19. uigesimis quintis unius, que sunt quasi 4. quintæ. Ex quo etiam concluditur, quod 46. stadia & $\frac{2}{3}$. unius Theodosij perficiant unum miliare Teutonicum. Inde consequenter infertur, quod uni gradui in celo sub æquinoctiali respondeant 15. miliaria Teutonica, & cum hoc 1100. passus, patet. Nam uni gradui subsunt 700 stadia, quodlibet stadium constat ex 125. passibus, unde uni gradui subiacent 87500. passus, sed ex 5760. passibus perficitur unum miliare Teutonicum, quare ex 87500. passibus diuisis per 5760. consurgunt 15. miliaria Teutonica, & cum hoc in residuo manent 1100. passus, qui sunt 2 $\frac{5}{8}$ ualent, ferè unius miliaris Teutonici. Ita ergo uni gradui circuli magni in celo subiacent in terra 15. miliaria Teutonica, & una quinta unius ferè. Sed pro illa parte residua, ut facilior esset in integris numeratio, quidam sedecimum posuerunt miliare. Item Alfraganus differentia octaua in mensuris suis dicit miliare ex 4000. cubitis constare, sed cubitus eius, ut ratione numerorum suorum quos circa diametrum terræ ponit extrahitur 2. passibus & $\frac{2}{3}$ unius ferè Theodosij constare uidetur. Sic ipse dicit uni gradui in terra 56. miliaria & $\frac{2}{3}$ unius ferè subesse, sed unum de suis miliaribus ex 12. stadijs geometricis Theodosij & $\frac{1}{3}$ unius ferè, siue 41. passibus appetet constare. Ex his aperte constat, quod quanquam diuersimodas ponant miliarium numerationes uni gradui correspondentium, tamen omnium eorum prima mensura miliaris alia est & alia, hi quidem breuiora, alijs habent miliaria longiora. Cum itaque distantiam itinerariam directam duorum locorum scire optas, colloca primum eorum loca ad globum eo modo quo doctus es in capite praecedente, postea extende pedes circini secundum intercedinem locorum, & eo inuariato, ipsum transfer super Aequatorem globi, & quot ibidem gradus intra pedes circini computaueris, tot erunt gradus circuli magni transeuntis per dicta loca. Hos itaque gradus multiplicaper 500. stadia, & locorum distantia in stadijs Ptolemaicis, sese in promptu offerunt, uel per 700. stadia, & emerget distantia eadem in stadijs Theodosij, uel per 60. & fient geometrica aut Italica, aut per 15. & fient Germanica. Quisquis igitur preter hanc normam aliam quoque cognitionem concipere uoluerit, illum ego ad quaestuor ultima problemata secundi libri, quæ Ioannes de Monte regio, super magna compositione Ptolemæi, quam Almagestum vocant, conscripsit, remitto. Quod opus breui fauentibus superis, in lucem dare est animus, ut studiosi nulla non in parte honesta studia nos promouere intelligent. Nam etiam sicut descriptio terræ & locorum in plana superficie regulariter fieri nequit, itanec intercedinum regularis mensura in eadem assignari potest. Nam iij qui chartas describunt Germaniae, uel quod maius est Europæ, superficiem terræ supponunt planam, qualis non est, ut supra capite primo ostensum est. Modus etiam reperiendi distantias locorum, qui inter utilitates Astrolabij circumfertur, cum suo autore deridendus est. Quia si ad arcus refertur, absurdus, non enim arcus in arcum, sicut linea recta in rectam duci possunt; si ad cordas siue ad sinus, à ueritate alienus. In unico tantum casu aut sibi simili, duo quadrata sinuum aggregata, quadratum cordæ, non tamen sinus locorum distantiae constituant, sed hic casus nihil ad mentem autoris præfati.

23 iiiij Secunda